

culum in summâ virium imbecillitate animadvertatur, aliud agendum negotii, ut vitali tantum satisfiat indicationi, & symptomatibus aliis sepositis, præservatoriæ vitalis præferatur. Hinc ut lapsus virium ulterius præcaveatur, in ardenti febre in sene propinari poterit vinum idôque ὀλιγοφόρον, aquosum & tenue, ad refocillandas vires easque corroborandas.

## CAPUT XXXVII.

### Causus per contraria citò, tutò & jucundè curatur.

**A**Xioma immotum & immutabile fundamentum est, quò, ceu compendiò, ars medendi concluditur: CONTRARIA CONTRARIIS CURANTUR; SIMILIA SIMILIBUS CONSERVANTUR.

*Galenus librò de constitutione artis cap. 12.* eleganter ostendit, tum in morbis intemperiei, tum malæ conformationis semper curationem fieri per contraria. Quin communissimus generalissimusque est scopus CONTRARIUM, ab *Hippocrate* designatum. Ideò calido morbo convenit frigidum, & intemperies, quæ alterationem à contrariis expectat qualitatibus, ad temperiem justam reducenda est.

Ardens cum sit morbus acutus, magnus, κακοηθής, malignitatem nonnunquam habens conjunctam, remedia & præfidia sibi requirit contraria, magna, alexiteria, bezoardica selectissima. Symptomata ejusdem similiter contraria expectant. Lingua æstu exsucca reddita refrigerantia desiderat, & humectantia. Cor inflammatum aëre frigido delectatur, tanquam contrariò, incendiosis fuliginibus dissipandis aptò flabellò.

Ad methodicam causi curationem non sufficit contrarietas generalis ratione ideæ vel essentiæ aut accidentium, respectu habitò ad magnitudinem, morem vel celerem motum, sed necessaria omninò est proportio æqualitatis in gradu, quæ mensuratur ad normam morbi & temperamenti individualis.

Ita